

in Congi & Guzurata regnis inter Martium & Septembrem percipiuntur à septentrione adspirantes, huc referri posse existimant. Utrum Italia, Gallia, Germania, Persia, etesiis penitus destituantur, ut habet quorundam opinio, haut immeritò dubitamus. Varenius certè non esse negandum dicit, in canicularibus suæ regionis sæpe flare boream, & nos non semel eodem anni tempore in hoc nostro horizonte flatûs ejusmodi boreales blandos sensimus.

*PHÆN. XVI.* Quod reliquum est in Zona nostra temperata ventorum (exceptis fortè provincialibus quibusdam, quos enarrare speciatim hac vice longum foret) & reliquarum aëris mutationum ac tempestatum, in incerto totum est, neque vel temporibus vel locis statis alligatum: id quod vel uno eodemque loco frequentissimè licet observare, si quis vel hebdomadas cum hebdomadibus, vel menses cum mensibus, comparare, quoad observatas interim ventorum tempestatumque varietates, sustinuerit. Sic e. g. (ut binos saltem menses cum binis plurium successivè annorum aliqua ex parte conferamus) sub finem Martii 1669. à 24. ad 30. usque exclusive, regnabant circa Oetingam Rhætiaë venti occidentales, præcipuè matutini, cum nocturnis frigoribus ac intermissis grandinibus nivibusque; sub initium Aprilis autem, post frigidam serenitatem per 4. primos dies continuatam, d. 5. ventus occidentalis exurgebat impetuosissimus, insequentibus pluviis per 3. dies continuis, & succedente per 8. 9. 10. & 11. Septentrionali frigidissimo, non nisi noctu paulùm intermittente: An. 1671. hîc Altorff versus Martii finem, d. 19. præsertim, ventus Orientalis subfrigidus cum serenitate, non diuturna tamen; sub Aprilis principium autem occidentalis iterum ventus primo, secundo, tertio, quartoque die spirabat, cœli mutatâ interim subinde facie, donec insequente quinto plenaria succederet serenitas & aër clementissimus ad decimum usque diem continuus. Anno 1672. d. 24. Martii nebula surgebat in pluviam à meridie desinens, postero die serenitas cum frigido vento orientali, ad finem usque mensis continuata, sub ultimos dies indies clementior; ab Aprilis primo ad quartum inclusivè ventus occidentalis & pluviaë quotidianæ, die 6. serenitas omnimoda cum vento orientali &c. Anno 1673. ultimis Martii diebus pluviaë multæ ab occidentali vento advectæ; Aprilis sex priores dies pluvias, grandines, nubila, sudum, iterum nubila & pluvias, promiscuè afferebant, septimus cum Orientali vento